



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Quod amor à malis animam custodit, 25

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

*Quod amor à malis animam custodit.*

I. **V**erus amor ( Domine Iesu Christe, amantium conservator ) custodit hominem à peccatis. Custodit namque ab æmulatione, sive invidia, quæ vehementer corrumpit animam. Inde enim provenit, ut anima in malis proximi delectetur, & in bonis contristetur. Sicut verus amor facit, ut in bonis proximi delectetur, & in malis contristetur: quia sicut viror naturaliter delectat visum corporis, sic bona naturaliter delectant animam. Custodit Domine, verus amor ab ambitione, quæ est, cum quis quærit sui exaltationem, & proximi dejectionem. Ut sic altior factus, à pluribus videri possit, & in admiratione haberi. Nam verus amor, sui exaltationem & proximi dejectionem non quærit. Custodit Domine verus amor ab amore nimio proprii boni; ex quo solet fieri, ut homini nullo modo cura sit de bonis proximi, imo cum scandalo sua repetat: quærit namque propria commoda, & negligit aliena. Verus autem amor, quæ sua sunt non quærit, sed quæ tua sunt, Domine.

2. Custodit etiam verus amor à maligna cogitatione super injuriis vindicandis: Talis autem cogitatio, quasi ferrum in vulnere semper hæret. Et ideo scribitur: Auferte malam cogitationem ab oculis meis. Verus namque amor, Domine, omnia remittit propter te; repellitque non solum actum, sed

sed etiam omnem cogitationem. Custodit Domine verus amor, ne gaudeat homo super iniquitate, quod est diabolicum, & signum magnæ corruptionis animæ, & elongationis à te, cum talis iniquitas summe tibi displiceat. Sed verus amor, Domine, semper gaudet de bono, & non de malo. O misericordissime Domine Iesu Christe, amantium custos fidelissime, dum præmissa omnia & singula mente revolvo, sentio me à vero amore elongatum. Quia invidia plenus fui & sum, me ipsum exaltavi, & proximum dejeci. Me nimis dilexi, animum habui vindictæ cupidum, in malitia gaudium concepi. Et denique ad omne malum, propter amoris tui defectum, multipliciter pronus fui. Adjuva me, piissime Domine Iesu Christe, largitor & conservator amoris. Et da mihi verum amorem indeficientemque; ut ab iis, quæ tibi displicent, abhorream; & quæ tibi placeant, recipiam, teneam, & adimpleam; ut in fine tuam gloriam perenniter & sine fine diligam, Amen.

## CAP V T XXVI.

*Quod amor in se continet doctrinam  
veritatis.*

I. **P**erfectus amor (clementissime Domine Iesu Christe, qui omnes perficis amantes) docet veritatem; quia in dilectione tota lex pendet & propheta. Quicquid latet, & quicquid patet in divinis sermonibus, & in tota sacra scriptura, dilectio ipsa comprehendit; Quia scriptum est:

A a

Ple-